

noquoque casu provisionis parochiae regularis presbytero-saeculari.¹²¹ Tales presbyteri non erant parochi stabiles, sed vicarii seu administratores paroeciales conventus ad nutum amovibiles, ideoque non concursu sed sola praesentatione parochias obtinebant; in schematismis quoque dioecesanis nominantur vicarii paroeciales;¹²² unoquoque anno, juxta determinatas consuetudines vel conventiones, quae et episcopo notae erant, conventui annualem canonem tribuere tenebantur;¹²³ hujusmodi administratio erat et est proviso-

¹²¹ Vide Arch. con. Split-Dobri, notificationes episcopi spalatensis de a. 1869, 1877, 1887 in provisione parochiae regularis de Muć gornji. Sic an. 1887 scribit: »Certiorem reddimus Multum Ven. Superiorem, quod decreto curiali de die 15 hujus (Januarii), sub eodem numero Rev. Dom. Marcus Vulić pro administratore paroeciali parochiae Muć gornji destinatus fuerit. Quamplurimi casus ejusdem tenoris inveniuntur in archivis conventuum de Sinj, Omiš, Zivogošće et Zaostrog, et in arch. provinciae Split-Dobri.

¹²² Hujusmodi parochi erant et nunc sunt amovibiles ad nutum utriusque superioris. Immo, saepius ipsi quaerunt a guardiamis, ut ab una ad aliam parochiam regularem transferantur. Sic v. g. anno 1897 sacerdos saecularis D. Vuletin supplicat a superioribus religiosis, ut a parochia Ljubitovica transferatur et praesentetur in parochiam Blizna et Bristivica (Arch. prov. Split-Dobri, Spisi 1897 n. 20); vel ad rem optimum casum de a. 1884 protulit P. Marković in o. c. 90, quem ex toto exhibemus: »Da più di cent' anni i preti secolari officiano la parrocchia di Ruda (diocesi di Spalato), che appartiene al convento di Sinj. Nell' ultimo decennio, non si sa come, il prete esercente la cura fu nominato parroco effettivo. Morto costui, il convento credette di far valere le proprie ragioni; e S. E. monsignor vescovo diocesano, con quella equità che lo distingue, gli rese giustizia col seguente atto: 'Nro 3130. Rev. P. Guardiano conventus Franciscanorum de Sinj. — Respective ad vestram reclamationem de die 3 currentis mensis, Nro 81, cuius rationes ut validae accipiuntur, subscriptus agnoscit jus istius conventus in parochiam Ruda, et certiores vos reddit se retractaturum esse proclamationem concursus ad eandem parochiam. Ex Ordinariatu episcopal, Spljet 11 Decembris 1884. Marcus episcopus'; cfr. etiam supranominatos schematismos de a. 1925 pro dioecesi spalatensi, de a. 1928 pro dioecesi sibenicensi. Tantum parochiae Trilj et Vojnić-Gardun relictæ sunt absque indicatione naturae juridicæ.

¹²³ De annualis canonis contributione prostant in archivis respectivorum conventuum plures determinationes. Hic inter alia commemoramus v. g. casum administratoris paroeciae Radošić, presbyteri saecularis qui a. 1881 conventione cum conventu obligatur quotannis 30 florenos contribuere conventui de Sinj (Arch. con. Sinj, Recentiora monumenta); vel casum episcopi spalatensis Kalodera, qui a. 1885, die 24 Aprilis scribit p. guardiano